

opera, et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis.

5. Dispensandi et absolvendi in quacumque simoniā; et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis, injuncta aliqua eleemosyna vel pœnitentia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficiis, si fuerint parochialia et non sint qui parochiis præfici possint.

6. Dispensandi in 3^o et 4^o consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2^o, 3^o et 4^o mixtis, non tamen in 2^o solo quoad futura matrimonia; quod vero ad præterita etiam in 2^o solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab hæresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in præfatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

7. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

8. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus amissum petendi debitum.

9. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis præterquam inter levantem et levatum.

10. Hæ vero dispensationes matrimoniales, videlicet 6^a, 7^a, 8^a et 9^a non concedantur, nisi cum clausula: dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat: et in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessæ.

11. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

12. Conficiendi olea sacra cum sacerdotibus, quos potue-